

CHRISTIANUS OOMEN

QUID FECERINT SODALES C.S.S.R.
PRO DEFINITIONE DOGMATICA
IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. MARIAE VIRGINIS?

Onus grave quidem, sed uti spero non infructuosum mihi incumbit vobis enarrandi, quid institutum S. Alfonsi Mariae de Ligorio sollemni definitioni immunitatis Beatae Mariae Virginis ab omni macula originali, die 8 decembris 1854, contribuerit.

Revera et Congregatio SS. Redemptoris partes suas habuit in illo eventu faustissimo. Gaudioso corde secuta est ipsum Patrem legiferum, qui per totam suam vitam strenuus defensor existebat huius privilegii eximii Beatae Mariae Virginis. Eam nempe sub hoc titulo glorioso patronam caelestem potentem et misericordiosam elegerat suae Congregationis SS. Salvatoris.

In mea communicatione perpendam influxum Doctoris Ze-
lantissimi in ipsa evolutione et in ipso progressu dogmatis Immaculatae Conceptionis speciatim in ultimis annis ante sollemnem definitionem, ut deinde hac in luce dilucidetur, quid sodales Instituti S. Alfonsi pro causa Matris purissimae et inviolatae egerint.

I.

S. Alfonsus Maria de Ligorio in Bulla dogmatica *Munificentissimus Deus*, a Papa Pio XII feliciter regnante data die 1 nov. 1950. ultimo loco laudatur inter testes traditionis (1). Similiter in Encyclica *Ad Caeli Reginam* diei 11 oct. 1954 (2): «Quapropter S. Alfonsus de Ligorio omnia superiorum saeculorum testimonia amplexus, haec piissime scribit: 'Quoniam Maria Virgo ad tam excelsam dignitatem evecta fuit, ut regum Regis Mater

(1) Cfr *AAS.* 42(1950) 766.

(2) *AAS.* 46(1954) 631.

esset, idcirco iure meritoque Ecclesia eam Reginae titulo decoravit» (3).

In Bulla autem dogmatica *Ineffabilis Deus* diei 8 dec. 1854 nominatim non memoratur, sicuti ceteroquin nullus doctorum et theologorum.

Negari tamen non potest S. Alfonso meritum speciale competere in elaboratione diuturna et ardua immunitatis B. Mariae Virginis a labe originali. Et quidem, ut recte observat Em. mus Card. G. van Rossum C.S.S.R., ex-lector Wittemiensis sacrae theologiae, duplici ex capite: «Exstitit Alfonsus tamquam fons vivus, in quem omnes aquae Scripturae Sacrae ac Traditionis, institutionum Patriarcharum et Prophetarum, Patrum et Doctorum, Scriptorum ecclesiasticorum, Theologorum et sacrae doctrinae Auctorum quasi confluisse videbantur, quique illis sitientem Ecclesiae agrum foecundissima vita effuse redonavit. Succrevit inde ac uberime refluere salutaris pietas ac devotio fidelium erga Immaculatam semperque et omnibus succurrentem Dei et hominum Matrem. Unde sine temeritate dici, ni fallor, potest, S. Alfonso Mariam, sicut divinitus vocatus fuit ut viam in Ecclesia expeditiorem faceret pro proclamando dogmate Infallibilis Magisterii Romani Pontificis, ita pariter singulari Dei providentia suscitatum fuisse Ecclesiae Doctorem ad definitionem dogmatis Immaculae Conceptionis praeparandam» (4).

Pius Papa IX vero, cum S. Alfonso doctorem Ecclesiae declaravit, testatus est die 7 iulii 1871: «Ea quae tum de Immaculata Sanctae Dei Genitricis Conceptione, tum de Romani Pontificis ex cathedra docentis Infallibilitate plaudente christiano populo et frequentissimo universi catholici orbis Antistitum consensu approbante, a Nobis sancita sunt, in Alfonsi operibus reperiuntur et nitidissime exposita et validissimis argumentis demonstrata» (5). Et revera paralellismus inter doctrinam S. Alfonsi et tenorem doctrinalem Bullae dogmaticae *Ineffabilis Deus* perspicuus est (6).

Nil mirum exinde, quod Episcopatus Catholicus eum hanc ob causam voce quasi unanima laudavit in litteris supplicatoriis

(3) *Le Glorie di Maria I*, Roma [1935], 21. = *Opere ascetiche VI*.

(4) *S. Alfonso M. de Liguori et Immaculata Conceptio B. Mariae Virginis*, Romae 1904, p. X.

(5) Cfr G. VAN ROSSUM C.S.S.R., o. c. p. XI.

(6) Cfr J. L. JANSEN C.S.S.R., *De H. Alfonsus M. de Liguori en de Onbevelekte Ontvangenis der allerh. Maagd: Nederlandse Katholieke Stemmen* 4(1904) 355-356.

S. Sedi datis, ut S. Alfonsus in album Doctorum S. Romanae Ecclesiae referretur. Dicunt episcopi ex Imperio Austriaco et ex Hispania: «Docuit Alfonsus, aureis suis Scriptis de Beatissima Virgine Maria editis, quibus pietatem et cultum erga Matrem Dei, sibi ut pupillam oculi charam, mirum in modum, in cordibus fidelium reaccendit et auxit. Quibus in operibus, Immaculatam B. Virginis Conceptionem, a Sanctitate Vestra, plaudente universo Orbe catholico, ad dogma fidei evertam, suo iam tempore totis viribus propugnavit tamquam moraliter certam et proxime definibilem de fide. In iisdem quoque operibus, inter alia adstruit... doctrinam... Beatissimam Virginem a Deo constitutam fuisse omnium gratiarum Thesaurariam ac Dispensatricem... Adeo fervens erat Alfonsus Deiparae cultor, ut (testante s.m. Pio VII in Bulla Beatificationis) 'de tanta Matre et Virgine praedicare, librosque de ejus laudibus sacra eruditione refertos conscribere, semper habuerit in deliciis'» (7).

Speciatim auctoritas S. Alfonsi elucet in votis, a praeclaris theologis S. Sedi datis, inde ab institutione specialis commissionis a Pio PP. IX, die 1 iunii 1848, in ordine ad sollemnem definitionem Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis. Ill. mus et R. mus P. Caterini, Assessor Supr. S. Congr. S. Officii, postea S. R. E. Cardinalis, laudat S. Alfonsum et admittit toto corde eius thesim ex operibus pernotis: *Le Glorie di Maria et Brevis dissertatio super censuris circa Immaculatam B. Virginis Mariae Conceptionem* de definibilitate huius singularis privilegii (8). Item R. mus Fr. Ludovicus a Loreto, Minister generalis Fratrum Minorum (9). J. Palermo OESA. declarat: «che ognun ben sa quanto il glorioso Santo fosse tenero divoto e difensore fociosissimo dell'immacolata Concezione egli pure» (10); et in altero voto: «S. Alfonsus Maria de Liguori in suis operibus passim, ac praesertim in libro *Le Glorie di Maria* pro sententia immaculatae Conceptionis B. M. V. pro aris, ut dicitur, fociisque pugnat» (11). Similiter Rev. mus Paulus a S. Ioseph OCD. (12), A. Rosmini, qui nomi-

(7) *Concessionis tituli Doctoris in honorem Sancti Alfonsi Mariae de Ligorio, Romae 1870, 26-27; cfr etiam 8.*

(8) Cfr V. SARDI, *La solenne definizione del dogma dell'Immacolato Concepimento di Maria Santissima. Atti e documenti pubblicati nel cinquantesimo anniversario della stessa definizione I, Roma 1904, 45; 49.*

(9) Cfr *Ibid.* 119, 120, 123.

(10) Cfr *Ibid.* 156.

(11) Cfr *Ibid.* II, Roma 1905, 388.

(12) Cfr *Ibid.* I 191-192.

nat S. Alfonsus: «... quel gran divoto di Maria» (13) et I. B. Cannella, Canonicus Vaticanus (14).

Insuper sicut in hisce votis, ubi auctoritas Doctoris Zelantissimi expresse allegatur, influxum eius salutarem hisce annis palpamus in elucubrationibus theologorum, qui immediate viam paraverunt definitioni sollemni. Excipiendi tamen sunt cl. I. Perrone SI., C. Passaglia SI., et A. Ballerini SI., apud quos hac in materia S. Alfonsus non memoratur.

Em. mus autem Card. L. Lambruschini dicit, concludendo conspectum traditionis: «Finalmente Sant'Alfonso de Liguori, per tacere di altri, in più luoghi delle sue opere e più particolarmente nel suo libro sulle Glorie di Maria, sostenne con tutto l'impegno la nostra sentenza» (15). Item Rev. mus C. Rivarola OSB., abbas Cassinensis in sua dissertatione de Maria Immaculata: «Fin qui il prelodato P. Liguori, le cui opere con tanto plauso sono state approvate e diligentemente esaminate dalla Santa Sede» (16).

Extra Italiam inter eos, qui coluerunt S. Alfonsus, praerprimis numerandi sunt Rev. P. Gual MO. (17) et J. Aguila (18), qui hispanice, et Pr. Guéranger OSB., abbas de Solesmes, qui gallice disseruit de definibilitate Conceptionis Immaculatae B. Mariae Virginis (19).

Revera opera S. Alfonsi iam ubique pervulgata erant et ubique doctrina eius de Maria Immaculata laeto animo recepta erat (20).

Auctoritas Doctoris Zelantissimi ultimo et maxime apparet ex responsis Episcopatus Catholici datis occasione Litterarum Encyclicarum *Ubi primum* diei 2 febr. 1849, in quibus Pius PP. IX investigare dignatus est, quid censuerint Episcopi simul ac populus christianus de Mariae Immaculata Conceptione. Iterum atque iterum S. Alfonsus allegatur (21). Auctoritate maxima ergo

(13) Cfr *Ibid.* 544.

(14) Cfr *Ibid.* 611.

(15) *Pareri dell'Episcopato Cattolico sulla definizione dogmatica dell'Immacolato Concepimento della Beata Vergine Maria* V, Roma 1851, 166; vide etiam 128.

(16) *Pareri* V 57-58. Vide etiam *Pareri*, Appendice seconda al vol. IX, Roma 1854, 200; 207; 354; 379.

(17) Cfr *Pareri* VIII, Roma 1852, 29; 79; 99; 103-104; 120-121; 122-124; 127.

(18) Cfr *Pareri* VIII 428.

(19) Cfr *Pareri* VII, Roma 1852, 41.

(20) Cfr *Votum Ordinis Cisterciensis = Pareri* IX, Roma 1852, 296; 304.

(21) *Pareri dell'Episcopato Cattolico sulla definizione dogmatica dell'Immacolato Concepimento della Beata Vergine Maria* I-X, Roma 1851-1854. - Cfr e. g. V 123; VII pp. VI, XXII, XXX, XXX, 162, 168; IX 195, 198; Appendice seconda al vol. IX 127-128, 227.

gaudebat multumque contribuebat evolutioni dogmatis B.M.V. omnino illibatae. Sit confirmatio votum Ep. S. Marci ac Bisianen., L. Parladore: «...tandem ne aequo prolixior videar, concludit Alfonsus Ligorius pro coronide: «Reapse mihi videtur pia sententia, licet usque adhuc non sit de fide declarata, esse hodie luce meridiana clarior, ita ut opposita post Decretum Alexandri VII non sit amplius nec practice, nec speculative probabilis». Si tunc temporis ita, quid nostra hacce aetate tanto in animorum, cordiumque motu erga Immaculatam, si vitam duceret ac scriberet adhuc? Sed vivit, vereque vivit et scribit; nam e coelo movet, impellit, urget, adiuvat, coram Matre quam summopere dilexit, coram Domina, cui fidelis inserviit servus, coram Regina cuius honorem, ac gloriam vehementer diffudit, et Conceptionem Immaculatam est fassus, et tutatus» (22).

Per modum conclusionis huius primae partis statui potest, S. Alfonsum causam dogmatizationis Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis vehementer promovisse et quidem operibus suis theologicis sed sine dubio etiam operibus suis asceticis, quibus vita christiana feliciter effloruit et populus fidelis - Episcopi autem Catholici ex populo fidei assumpti sunt - toto corde Immaculatam coluit.

In choro Doctorum Ecclesiae - Deo ita providente - vox S. Alfonsi sonat fortiter et suaviter in gloriam B. Mariae Virginis Immaculatae, ita ut sit revera «auctoritas classica» hac in materia et causam definitionis pro parte sua ad finem auspdatum perduxerit (23).

II.

S. Alfonsus adhuc vivit non tantum in scriptis suis, sed etiam in Congregatione SS. Redemptoris. Inbuti «sensu vere catholico» Patris legiferi, sodales eius, qui iam dispersi erant per Europam et Americam Septentrionalem, strenue et indefesse cultum B. Mariae Virginis Immaculatae propagaverunt et pro parte sua ardore pio adlaboraverunt sollemni definitioni Conceptionis Illibatae. Voto enim sese Deo obstrinxerant defendendi causam B. Mariae Virginis Immaculatae (24).

(22) *Pareri IX p. LXXII.*

(23) Cfr R. TELLERÍA C.S.S.R., *San Alfonso M. de Ligorio II*, Madrid 1951, 935-937.

(24) Cfr *Codex Regularum et Constitutionum C.S.S.R.*, Romae 1896, 32 n. 8.

Viam paraverunt Redemptoristae dogmatizationi scriptis suis theologis strictè dictis – scriptores doctrinae sacrae unice hoc tempore floruerunt apud Cisalpinos – magis autem operibus asceticis et oratoriis, maxime vero ministerio verbi.

Quoad scriptores familiae Ligorianae prae omnibus laudandus est Ven. P. J. Sarnelli, qui publici iuris fecit *Le Glorie e grandezze della Divina Madre*, Napoli 1739. Deinde Rev.mus P. Fr. De Paola, *Le Grandezze di Maria*, Foligno 1803-04; RP. J. Pavone, *L'Aurora celeste foriera del Sole divino, ossia l'amore di Maria che introduce nel cuore l'amor di Gesù*, Napoli 1809; et RP. R. Lupoli, postea Ep. Larinensis, *Il Conoscimento di Maria santissima*, Napoli 1816.

Praeterea RR.PP. B. Giordano, A. Saccardi, St. Spina, N. Laudisio, postea Ep. Policastrënsis, et praesertim J. Saggesse, Archiep. Teatinus, *Collezione di alcune opere sul culto de' SS.mi Cuori di Gesù e di Maria*, Chieti 1842-49, qui maxime devotionem ad B. Virginem Mariam auxerunt apud fideles. Insuper speciali mentione quoad nostram materiam digni sunt RR. PP. St. Spina, *Le Glorie di Maria del primo istante del concepimento*, Palermo 1836, et magis B. Panzuti, *Sacrae theologiae speculativae institutiones*, Neapoli 1828-31, et *Serto di lodi alla degnissima di ogni lode, cioè Sermoni in lode di Maria Santissima*, Napoli 1846.

Inter Transalpinos vero post S. Clementem Hofbauer et Ven. P. Iosephum Passerat maxime devotos Mariae Immaculatae, cultui Eius foverunt RR.PP. A. Passy, A. Hugues et I. Berset (25).

Quomodo ministerio verbi, id est per missiones et exercitia spiritualia, propagaverint cultum B. Mariae Virginis Immaculatae testatur Ill.mus et Rev.mus Dominus Ep. Emausa in partibus inf., Vicarius Apostolicus Buscoducensis – hierarchia enim nondum restituta erat in Hollandia. In responsione data die 25 iunii 1849 Pio PP. IX hoc modo sensum fidelium quoad Conceptionem Immaculatam B. Virginis exponit: «...scapularia in honorem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis... a fidelibus, qui in hoc vicariatu moraliter omnes occasione SS. Missionum ea

(25) Cfr M. DE MEULEMEESTER C.S.S.R., *La littérature mariale de la Congrégation des Rédemptoristes = Alma Socia Christi. Acta congressus mariologici - mariani, Romae anno sancto MCML celebrati XI, Romae 1953, 171-181.*

assumpserunt, in magno honore habita; ...confraternitas in honorem SS.mi Immaculati Cordis B. Mariae Virginis; ...tandem praxis universalis, in missionibus commendata atque in viridi observantia perseverans, qua quisque fidelis singula die sive mane sive vespere recitare solet tria *Ave Maria* in honorem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis ut castitatem sui status servet» (26).

Omnium mens Transalpinorum maxime autem elucet in voto, diei 2 aug. 1853 dato Pio PP. IX a R.mo Patre R. von Smetana, Vicario generali (27), simul ac in eius libello: *Defensio Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis Mariae ex rationibus theologis* (28). Dicit Pater R. mus: «Congregatio quoque Sanctissimi Redemptoris trans Alpes posita, prae gaudio exultavit... Minima quidem est nostra Congregatio inter religiosas familias et iunior filia S. Matris Ecclesiae, attamen in cultu Beatissimae Virginis et in umili obsequio Sedi Apostolicae praestando minime cum infimo loco contenta est...». Deinde perpulchre «cum Sancto Patre Nostro Alfonso» exponit rationes, cur instanter quaerit, «ut scilicet tandem per S. Sedis Apostolicae infallibile Oraculum dogmatice definiatur, Beatissimam Virginem sine labe originali esse conceptam». Tamquam filii S. Alfonsi «scribendo et praedicando» hanc doctrinam profitentur Patres trans Alpes positi. Persuasi sunt «valde convenire, si haec pia doctrina pro veritate fidei declaretur. Ex tali enim declaratione, a Sede Apostolica, quae falli et errare nescit, emanata, honor et gloria divinae Matris multum in hominibus augetur, quod certo gratum foret Beatissimae Virgini, caelitum choris, Ipsique divinae Trinitati: imo existimamus, tam gratam fore talem declarationem divinae Maiestati et Beatae Virgini, quod propter illam novus fons gratiarum scaturiens et sanctam Ecclesiam uberrimis fructibus faecundans aperiretur» (29).

Et in ipsa defensione dicit secundum mentem S. Alfonsi: «Bene scio, fidem totius Ecclesiae momentum principale esse, ut ad definitionem alicuius veritatis tuto procedi possit; sed si ac-

(26) *Pareri* I, Roma 1851, 337-340; speciatim 338; 339. Missiones hoc tempore unice a Redemptoristis datae sunt. Praxis vitae devotae spiritu Alfonsiano plene imbuta est.

(27) Cfr *Pareri* IX, Appendice. 75-78.

(28) *Ibid.* 80-83. - Secundum nostram traditionem haec defensio R.mo P.i R.von Smetana attribuenda est.

(29) *Pareri* IX, Appendice 75-78.

cedunt conclusiones immediate et directe ex articulis fidei deductae, facilius saltem fit haec definitio. Caeterum nostris temporibus definitio Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis tanto magis mihi desideranda esse videtur, quanto in Germania periculosissimi errores circa personam Christi circumferuntur, inter quos illum notamus, quo Christum peccabilem fuisse asseritur, cuius erroris radix in doctrina de Conceptione non immaculata B. M. Virginis querenda est» (30).

RP. Karl Dilgskron C.Ss.R. nobis communicat, R. mum P. em R. von Smetana adscriptum fuisse speciali commissioni theologorum, qui iussu Pii PP. IX definitionem B. Mariae Virginis Immaculatae Conceptionis praeparabant. Dicit enim: «...so war er auch in die Commission der Theologen gewählt worden, welche Pius IX eingesetzt hatte, um die abschliessenden Studien über das zu verkündende Dogma zu machen ... Wie man von unterrichteter Seite erfuhr, füllte P. Smetana seine Stelle dort auch mit Ehren aus» (31).

Revera adfuit sessioni commissionis specialis diei 2 aug. 1853 - hac die etiam suum votum supra iam memoratum dedit S. Sedi. Hac vice tantum, uti videtur, adfuit, sed hac occasione affirmative respondit et quoad definibilitatem et quoad opportunitatem dogmatis Immaculatae Conceptionis. Hoc patet ex actis cl. V. Sardi, qui tamen R. mum P. em von Smetana, secundum adnotationes secretarii Ill. mi et Rev. mi Pacifici introductum a R. mo P. e Ferrari, Commissario S. Officii (32), nominat P. em Smetana et *Ordini Praedicatorum* adscribit (33).

Maxime vero Episcopi nostri illius temporis contribuerunt evolutioni dogmatis B. Mariae Virginis Immaculatae. Pertinebant enim Ecclesiae Docenti, cui ultimo competit veritatem tamquam fidē divina credendam proponere et explicare.

(30) *Ibid.* 83.

(31) K. DILGSKRON C.Ss.R., *P. Rudolf von Smetana*, Wien 1902, 254. - A. HUGUES C.Ss.R., *Beiträge zur Geschichte der Congregation des allh. Erlösers, 1732-1869* (Ms in Arch. prov. C.Ss.R. - Wien), 470 nota: «Während seines Aufenthaltes in Rom im Jahre 1853 ward P. Smetana zum Mitglied einer für die Definition der Immaculata Conceptio B.M.V. von Pius IX. gebildeten Commission ernannt. Auch übergab er auf Verlangen der Congregatio Indicis, derselben ein Votum in Bezug auf die Werke des Gelehrten Günther».

(32) *La solenne definizione del dogma dell'Immacolato Concepimento di Marta Santissima I*, Roma 1904, 841.

(33) *Ibid.* II, Roma 1905, 716. - Sicuti nobis humaniter communicavit R. mus P. A. Walz OP., Prof. Hist. Eccl. in Athenaeo Pont. «Angelicum», olim Archivista generalis, in catalogo ordinis illius temporis non invenitur Pater Smetana vel aliud simile nomen. (Epist. diei 30 III 1955).

Ill. mus et Rev. mus N. Laudisio, Ep. Policastrensis, iam die 14 nov. 1848 petierat sollemnem definitionem Immaculatae Conceptionis (34). Die autem 19 sept. 1849, occasione Litterarum Encyclicarum *Ubi primum* diei 2 febr. 1849, denuo exposuit, quid ipse et suus populus sentiant de Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis. Maria Immaculata - et alii Episcopi Ligoriani hoc opinantur - erit auxiliatrix e tribulationibus huius aetatis (35). Venerabilis praelatus, creatus die 4 iunii 1819, aderat sollemni definitioni die 8 dec. 1854. Tamquam decanus Episcoporum assistebat in functione sacra una cum postulatoribus definitionis (36).

Ill. mus et Rev. mus J. Saggese, Archiep. Teatinus, fuit unus e principalioribus promotoribus sollemnis definitionis. Iam 1848 postridie Kalendas Novembris petierat S. Sedi dogmatizationem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, ut Immaculata esset columba pacis (37).

Suo responso Pio PP. IX adiunxit votum celebre. Inhaerendo doctrinae Patris sui amatissimi, cuius argumentis passim utitur, tamquam ignis ardens exponit quoad definibilitatem Immaculatae Conceptionis in sex capitibus: 1° Romanae Sedis ordinationes et praxim; 2° Episcopatus magisterium et praxim; 3° fidelium sensum et ferventem praxim; 4° conclusionis principia et epitome; 5° conclusionem, perorationem et preces; et 6° iubilum Romanorum Pontificum super Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis (38).

De hoc voto testatur cl. A. de Roskovány: «AEp. Teatinus... an. 1849 tam suo quam ab se consecrati AEp. Auxanensis, et con-consecratorum Ep. Valvensis ac Sulmonensis, et Pinnensis ac Atriensis nomine easdem, quas Tranensis, proposuit preces: subiungendo uberiolem dissertationem, quam e requisitione memoratorum Praesulum apud se congregatorum super tota quaestione erudite non minus ac pie elucubravit. Dissertatio haec 44 paragraphis constans id proponit demonstrandum, quod sententia immac. Conceptus B.V. concrete, expresse, et proxime definibilis sit... AEp. Teatinus disquisitioni... subiunxit Iubilum Romanorum Pontificum super imm. Conc. B.M.V. in quo 33 punctis comprehendit, quaecumque Romani Pontifices inde a Sixto IV usque Pium IX pro favore piae doctrinae praestiterunt. Eximia

(34) Cfr *Pareri* IX 236-237.

(35) Cfr *Pareri* II 150-152.

(36) Cfr *Pareri* IX 167-169.

(37) Cfr *Pareri* IX 167-169.

(38) Cfr *Pareri* VII pp. I-LVI. - Vide etiam *Pareri* I, 21-22, 496.

(36) Cfr V. SARDI, *La solenne definizione* II 425.

profecto est lucubratio ista, ostendens, qualiter per gradus quodammodo ascenderint favores Pontificii ad supremum punctum, in quo iam nihil deesse videbatur ad emittendam definitionem» (39). In eius biographia notatur: «Il Votum... del nostro santo Arcivescovo girò per le mani di quasi tutti i Vescovi Italiani» (40).

Denuo, die 28 ian. 1850, tractavit de hac materia relate ad conditionem tristissimam Ecclesiae Dei: «Nisi Virginem... Immaculatam Conceptu definias, ... nescio, an iustissime in mundum ultrix Dei iustitia placetur» (41).

Ill.mus et Rev.mus V. Marolda, Ep. Drepanensis, Neapoli sexto Idus april. 1849 suam sententiam exposuit Pio PP. IX. Gaudet de voce Petri evocanti ad maris Stellam contemplandam. In calamitatibus hodiernis spes redit, si integerrimam puritatem contemplari liceat B. Mariae Virginis. Ipse semper opinabatur certo certius contineri exemptionem ab omni macula peccati sive actualis sive originalis in revelatione, tamen veluti quodam velo obductam, ita ut primo aspectu non tam facile capi possit. Eius persuasio tamen non instinctu quodam ardentiore devotionis, sed argumentis singulatim scientificè perpensis fundatur. Quoad populum suum dicit, numquam eum B. Mariam nuncupare nisi adiecta voce Immaculatam. Fideles mirarentur et quemcumque tamquam haeticum considerarent, qui in dubium vocaret Immaculatam Conceptionem. Conclusionem faciendo, denuo Stellam maris dicit Auxilium christianorum, unde consolatur Summum Pontificem: «Ne pertimescas et ne frangaris animo. Dominus enim tecum tamquam bellator fortis et Domina tibi adiutrix» (42).

Ill.mus et Rev.mus H. Montalcini, AEp. S. Severinae, die 16 iunii 1849 scripsit Vicario Christi. Maria semper ab Ecclesia glorificabatur semperque vocabatur tota pulchra, formosa nimis et sine macula vera Civitas Dei. Maria est sanctissima Mater Domini nostri Jesu Christi, Agni Immaculati. Petitionem suam, argumentis breviter indicatis, hoc modo concludit: «Hoc Metropolitanum Capitulum, hoc Clerus universus, hoc Populi omnes, quos meae curae commisisti, vehementer suppliciterque petunt; hoc ergo S. Patris mei Alfonsi Mariae de Ligorio erga Immacu-

(39) *Beata Virgo Maria in suo conceptu Immaculata ex momentis omnium saeculorum demonstrata* IV, Budapestini 1873, pp. XLVIII-L.

(40) GAETANO MEAULO, *Commemorazione di Mgr Giosuè M. Saggese nel 1° centenario della morte*, Chieti 1952, 33. - Cfr GIANVINCENZO CINALLI, *Biografia storica del fu Mons. Don Giosuè Maria Saggese del SS. Redentore*, Napoli 1856, 96.

(41) *Pareri* III 242.

(42) *Pareri* I 52.

latam Matrem tenerrimo amore fragrantis, vestigiis insistens instantissime humiliterque efflagito; hoc ut fidenter praestes, ab ipsa intemerata Virgine assiduis publicisque precibus nos omnes imploramus» (43).

Ill. mus et Rev. mus Ven. I. N. Neumann, illud decus Ecclesiae Statuum Foederatorum, creatus Ep. Philadelphiensis die 13 febr. 1852, aderat, sicut Ill. mus et Rev. mus Laudisio, Romae sollemni definitioni Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis (44). Antequam a sua sede proficisceretur ut Urbem peteret, litteris pastoralibus (45) fuse cum populo suo tractaverat de hoc privilegio singulari, plenus spiritu S. Alfonsi, quem didicerat in schola S. Cl. Hofbauer et Ven. P. I. Passerat. Expectatio, ita Ep. Philadelphiensis, adventus Messiae non erat tam generalis ante Incarnationem Verbi Divini quam hoc desiderium, ut Vicarius eiusdem Filii, Papa noster Pius, proclamatione infallibili definiturus sit, Beatam Mariam Virginem numquam fuisse in peccato originali. Unde, ubicumque exsistit pietas illuminata, ne momento quidem adesse potest haesitatio de hac dulci veritate.

Iam an. 1853 in Synodo Philadelphensi IV de Immaculata Conceptione statutum fuit: «Cum B. V. Maria sub titulo Immaculatae Conceptionis rogantibus Patribus Conc. Baltimorensis III principalis Patrona Ecclesiae Cath. in foederatis nostris Statibus a Summo Pontifice concessa sit, et ideo a fidelibus nostrae curae concreditae speciali veneratione et cultu veneranda sit: commendamus ad normam statuti Dioec. Baltimorensis an. 1791 habiti, ut diebus Dominicis et Festis de praecepto ante Missam principalem cantentur Litaniae Lauretanae addita loco suo invocatione: 'Regina sine labe originali concepta, ora pro nobis...» (46).

Haec sunt quae communicanda habuimus de influxu Congregationis SS. Redemptoris in dogmatizationem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis.

Unde concludere fas est:

1°) S. Alfonso tamquam theologum – Deo benigne providente – maximam auctoritatem habuisse in causa Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis. Quod patet ex votis theo-

(43) *Pareri I* 314-315.

(44) Cfr V. SARDI, *La solenne definizione II* 441.

(45) Cfr J. BERGER CSSR., *Life of Right Rev. John N. Neumann, translated by E. GRIMM CSSR.*, New York 1884, 386-388.

(46) Cfr A. DE ROSKOVÁNY, *Beata Maria Virgo in suo conceptu Immaculata V*, Budapestini 1874, 732-733.

logorum specialis commissionis institutae ad hoc a Pio PP. IX et ex responsis Episcopatus Catholici, maxime vero illorum Episcoporum, qui gloriabantur se esse filios S. Alfonsi.

- 2°) S. Alfonsum eiusque Congregationem tam Cisalpinam quam Transalpinam modo splendido devotionem populi christiani erga Immaculatam promovisse, praedicando et scribendo. Floruerunt enim hoc tempore praedicatores famosi et missiones nostrae fructus praeclaros fecerunt. Apostolatus calami tamquam «missio» continuata considerabatur - duce S. Alfonso, cuius opera ascetica ubique iam pervulgata erant. Quae omnia maximi momenti fuerunt pro tempore, quo Pius PP. IX sensum fidelium exquisivit.